

Causa 5. ac  
10. Phæn.

communicare, vocemque adeò intromissam gradatim graviorem ac obtusiorē efficere. Ex quo consequitur eò magis graves & obtusas evadere voces, quò major fuerit tubarum amplitudo, prout suspicatus est *Dn. Cassegrain*, & ipsa experientia testatur.

Phæn. XIV.  
ejusque  
causa.

CONCLUSIO IX. Quod verò emissi per hasce tubas foni, non solum èminus sed cominus etiam ac in locis intermediis, imò ad latera quoque fitis audiantur, & quidem eò clariùs, quò propiore loco constitutus auditor fuerit; id non est ipsorum proprium, sed sonorum omnium commune attributum ex generalissima ratione motûs violenti, qui sub initium semper fortior est ac in obvia viciniora vehementiùs impingit, deinceps autem magis magisque debilitatur minusque ferit: ut mirum sit contrarium homini sanæ rationis in mentem venire unquam potuisse.



## TENTAMEN IX.

De

*Novis quibusdam Thermoscopiorum & Hygrometrorum generibus, indeq; composito novo Aërometro.*

I.

CUM in prima parte Collegii hujus Curiosissimi Tentam. IX. diversa Thermometrorum sive Thermoscopiorum genera describerimus, quorum effecta propriis experimentis compereramus; ingratum fortè quibusdam nostris Lectoribus haut erit aliud quoddam valdè elegans hoc loco spectare, cujus fabricam, Amico cuidam nostro à *R. P. Weibelio* Moguntinorum Mathematico Meritissimo primùm communicatam, artifex quidam vitriarius Norimbergensis jussu suasuque nostro feliciter imitatus est, sub gemina deindè hac forma,